

vinum in ejus caput effunderetur. Quam rem tam indigne tulit Empedocles, ut postridie coacto concilio, et invitatorem, cuius opera id erat factum et symposiarcham reum peregerit, damna- rique curarit, Laert. Parem huic tyrannidem vi- dentur exercere in suos subditos, qui precipiunt, ut aut vina a se emant, ebibantque, aut iis per- fundantur et inebrantur, velint sive nolint. Et facile tolerarent pauperes vino se perfundi, si non et solvere deberent.

Secundo, alii vina sua effundunt, in quos non deberent, parasitos, scurras, lurcones, hellu- nes, mimos, vel in splendida convivia : negli- gunt vero pauperes, et ægros. Non sit hoc impi- mis juxta consilium Christi, quod dedit hospiti suo, Lucæ XIV. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinvitant, et fiat tibi retributio; sed cum facis con- vivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retri- buetur enim tibi in resurrectionem justorum.* Deinde graviter invehitur S. August. serm. CXXXI. cit. in eos, qui contrarium agunt. « O infelitas ge- nesis humani, inquit, quam multi inventiuntur, qui ebrios, et luxuriosos, amplius quam oportet cogunt bibere, et ante ostium pauperibus potentibus vel unum calicem dissimulant dare : nec attendunt, quia istud quod luxuriosis vi- dentur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere ? » Similes sunt hi fluminibus, quæ aquas suas in mare effundunt, terras autem si- tientes minime rigant. Considerent, an æquum sit pro inani gloria tanta bona perdere, quibus tot ægri, et egentes refocillari poterant.

III. Tertius concernit Dei injuriam. Nam primo frequenter accidit, ut ebriosi graviora peccata committant, Dei penitus obliseantur, sacra omnia derideant ac conculecent, imo numen ip- sum blasphemant. Cujusmodi exemplum recen- set Gabriel Prateolus, in chron. anno Domini 1580, de quodam, qui cum socio tabernam intra- vit, et post varias propinaciones, et cachinnos : Cui nunc præbibam ? inquit. Alter : Stupidus es, Deo præbibe, tum videbis, quid responsurus sit. Hic vero de quo infundam de horno, an de veteri ? Alter : Utrolibet vis. Infundam ergo de horno, ait, qui licet sit crudum, sed tamen ipsi bonum est. Tunc elato scypho : Tibi Deus, responde. Mirum si tibi arriserit : si enim hoc anno fecisses me- lius, melius bibisses. Hoc edicto irriguit toto corpore, omni sensu expers. Et quamvis oculos modo clauderet, modo aperiret, loqui tamen non potuit. Territus socius, fugit : alii præsentes eum loco movere tentant, sed immobilem repe-

riunt. Rem ergo Scabinis indicant, qui hominem funibus ligatum, ne tribus quidem equis extra- here possunt ; ut manifeste Dei potentia et vin- dicta appareret. Domum allatus est ignis, ut una cum domo Dei contemptor combureretur, sed frustra. Stetit itaque miser ille tamdiu non lo- quens, nec bibens, nec manducans, donec a quam plurimis videretur, velut exemplum di- vinæ vindictæ. Ita et paulo fusius Prateolus, tomo II. chron. anno cit. 24. julii.

Secundo, præterea non potest non offendere Deum, cum non hominum, sed bestiarum modo bibilitur ex industria ad omnem libidinem, et spurcitiam per integras noctes, sine omni modo et honestate, ut Deus ad iracundiam provocetur. Cujusmodi compotationem describit Jo. Frid. Mattenesius, l. I. de ritu bibendi in sanit. cap. XI. quæ non ita pridem in celebri civitate Imperii habita fuit, ea lege, ut omnes combibones nonni- si grandibus poculis biberent : ut uno tractu eadem exaurirentur : ut ea de manibus nunquam deponerentur : ut per totam noctem nemo discederet, antequam sol oriretur : denique, ut si quis se exonerare vellet, supra mensam faceret. Quis quæso porcorum haram unquam spurcio- rem vidit ? Et nonne hoc est omnem humanità- tem exuere, et Dei imaginem quam fœdissime deformare ? Atque utinam similes spurcitæ non et alibi crebrius fierent ! Bene huc quadrat, quod dixit Isaías, cap. XXVIII. *Omnes mensæ re- pleæ sunt vomitu, sordibusque. Alii vertunt: Vo- mitu et stercore. Et miramur adhuc, si frequenter Deus vineas grandine, pruina, frigore, pluvia flagellat ? Si vina in cellariis pereant, si immatura aëte multi extinguantur ? Insania potan- tium, furor ebriorum, spurcities lurconum, ho- rum malorum causa est. Dedit nobis quidem Deus vineas pro solatio et bono nostro ; sed ex- pectat inde fructus bonos temperantia, gratia- rum actionis, liberalitatis erga pauperes. At quia frustra aliquando expectavit uvas, et acceptit la- bruscas, audite quid de hac vinea sua dicat Isa. V. Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ. Aferam sepem ejus, et erit in direptionem : diruam maceriam ejus, et erit in conculationem. Et ponam eam desertam : non putabitur, et non fodietur : et ascendent repres et spinae : et rubibus mandabo desuper, ne pluant super eam imbrem.* Permittit enim tandem, ut desertæ jaceant vineæ cultoribus destituta, vel occupentur ab hostibus, exscindantur a Turcis, etc.

Quare ne quid tale nobis contingat, utamur Dei dono cum debito moderamine, ut ne pœnitentiat eum dati beneficii, et ne post foedam et intolerabilem ingluviem deveniamus ad æternam

situd : sed potius ut per moderatum usum, et debitam gratiarum actionem mereamur non so- lum in hac vita vinum a Deo accipere, verum etiam in altera novum illud cum Christo Domino nostro bibere.

CONCIO V.

QUALES OPERARI SALTATORES.

I. Saltatorum paterfamilias diabolus. — II. Labores eorum quales Samsonis molam vertentis. — III. Merces eorum mors est et infernus.

THEMA.

Ite et vos in vineam meam. Matth. XX.

Duces, qui hostili odio flagrant inter se mu- tuo, hoc observare solent, ut si videat unus hos- tem suum tympana pulsare, et milites conscri- bere, mox alter quoque classicum canat, et milite conscripto contra hostem se obarmet. Prodit in hodierno evangelio cœlestis paterfamilias, conducturus operarios in vineam suam, ut piis virtutum operibus occupet, et post exactos labores in celo præmet. Videt hoc Dei et humani generis hostis diabolus, et quia cœlum nobis invidet, prodit etiam ipse ut in suam vineam operarios conscribat et laboribus afflic- tos ad extremum perdat. Reperit autem quosdam valde sibi idoneos, triplicis conditionis : saltato- res, lusores, convivatores. Omnes hos fatigat saltando, ludendo, convivando, periculo pro- sus labore, sed et pessima mercede. De primis hodie loquemur, sequentibus duabus dominieis dictiri de aliis duobus.

Non incongrue saltatores ad vineam diaboli conduci dicuntur ; si quidem olim in vineis fere saltationes ad honorem Bacchi fiebant. Unde Grœci vocem quæ significat *saltare*, deduxerunt ab alia quæ significat sulcos aut foveas seu ordines vinearum, in quibus saltabant. Sed videamus jam labores horum operariorum.

1. Quis illorum heros seu paterfamilias, quis conductus illos ? Respondeo, diabolus. Hic enim in Apin Ægypti deastrum se immittens varios hinc inde motus ciens primus coryphæus, choreas ducens, saltare homines docuit qui adsta- bant. Ita docet Augustinus, lib. XVIII. de civitate, c. V. et Abulensis, in c. XXXII. Exodi q. XI. Non dubium ergo adesse cum choreis et maxime læ- tari, cum tam bene sibi cessisse suam inventio- nem videt : adhortari etiam et incitare eos ad continuandum laborem : sicut patresfamilias so- lent stimulare ad operandum operarios. Accedit

S. Chrysostomus, hom. XLIX. in Matth. *Ubi, in- quis, saltus lascivus, ibi diabolus certe adest : et Sanct. Ephr. tom. I. serm. quod ludis abstinen- dum sit : Ubi cithara et chori, ibi angelorum tristitia, et diaboli festum : et lib. interrog. et res- pons. Quis talia Christianos edocuit ? Draco antiquus docuit, magister omnis impunitatis, etc. Imo inter eos ipsi etiam dæmones saltant, teste Isaia, c. XIII. *Pilos saltabant ibi* (Chald. *dæmones*) *et res- po idebunt ibi ululæ (juvenes et viri) in delubris voluptatis.* Vatablus vertit in *palatiis voluptuosis*; quæ sunt delubra et templo dæmonum. In quæ verba S. Basilius ait: *Dæmonia gesticulari dicun- tur, et multis tam saltitare, dum nobis coope- rantur ad peccandum, etc.* Videant jam juvenes, videant puellæ, ubi sint, quibuscum agant, dum choreas agunt : eum dæmonibus versantur, dæ- monibus laborant. Ecclesiasticus, c. IX. dehor- tans hominem a commercio tyrannorum, ait : *Communionem mortis scito, (hoc est, scito te cum morte communicare) quoniam in medio laqueorum ingredieris.* Plurimi enim sibi laquei, quibus dæ- mon velut venator cingit, et capit tam saltantes, quam spectantes. Quando Alexander VI. Scotorum rex, in tertii suis nuptiis choreas instituit, dum spectaret illas, vidit in fine saltantium mortem, ea qua pinguit figura ossea, agmen claudere saltantem : statim ergo choreas, et omnem lætitiam nuptiale sustulit ; quod malum id omen crederet, ut revera erat : cum eo anno mortuus sit, ut refert Hector Boethius, in chron. Scot.*

II. Quinam illorum labores ? Quales erant Samsonis a Philistæis capti et excæcati, qui in carcere conjectus molam vertere, et in girum trahere coactus fuit : quemadmodum et juvenes Hebræorum a Chaldaïs in captivitate Babylonia ad molendinum vertendum rapti sunt, ut lamentatur Jeremias, Thren. V. vers. XIII. in text. Hebr. qui habet : *Juvenes ad molendum rapuerunt.* De his intelligent aliqui, quod Ps. XI dicitur : *In circuitu impianibant.* Impios voco saltatores, quia : *Ubitympansonant, tibia clamat, lyra gar- rit, cymbalum concrepat, quis ibi timor Dei?* inquit S. Hieronymus contra Helvidium. Igitur, primo, hi in circuitu ambulant, quia ut honestissime saltant, tempus tamen inutiliter terunt, sicut qui in gyrum vertuntur, velut rota molendini nullum progressum faciunt, nec ad unum quidem passum, licet ad sudorem usque toto die se fati- gent. Quot milleni alii, religiosi et pii homines eo tempore Deum laudant, et cœlum diripiunt, quo saltatores nugas sectantur ! Quot milleni alii gemunt in suis miseriis partim in hac vita, par- tim in altera, dum purgantur, quibus illi interim

succurrere possent, dum inani illo labore se conficiunt!

Secundo, dum in gyrum saltant, in vertiginem facile aguntur. Vertigo autem, quæ homini cerebrum evertit, insania est. Et talis est saltatio omnium fere sententia tam ethnicorum, quam Christianorum. Ex illis prudentissimus Cicero, in defensione Murenæ ait : *Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit.* Ex his sapientissimus ille Alphonsus Aragonum rex dicebat : *Saltatorem ab insano nihil differre existimo, nisi quod hic dum saltat, ille dum vivit, insanus est.* Panorm. in comment. lib. I. de reb. ejus gestis. Cumque mulierem aliquando impudentius saltantem videret : *Expectate, inquit, mox Sybilla edet oraculum, quasi dicat: insanæ speciem.* Id. lib. II. Et cum ipse aliquando in adventu Friderici III. imp. pro honore ejus saltaret, non aliter se excusare potuit, quam *quod magnis viris interdum insanire licet.* Ibidem. Quod si modestissima illa saltatio non caruit aliqua insania, quis alias excusabit leviculas? Quæ poterat esse honestior saltatio, quam illa Davidis coram arca, ex mera pietate profecta? Et tamen illam in rege derisit uxor ejus Michol, quasi actionem ex natura sua scurrilem, et rege indignam. Quis igitur probabit saltationes in honestas?

Tertio, ubi ita in gyrum acti sunt, facile tandem collabuntur sicut pueri, dum se gyrant. Sensim enim capiuntur stulto amore consaltantum, et illi in foedæ libidinis ignem, si non opere, cogitatione saltem et desiderio collabuntur, et quasi in febrim incident, ut indicavit Fridericus III. imp. qui dicebat : *Malim febris in lecto detineri, quam minimam saltationi operam dare,* teste Ænea Sylvio, lib. I. comment. in Panorm. sentiens ipsum saltandi studium febrim esse quamdam, et quidem foedam maximeque periculosam. Qui enim fieri possit, ut ignis palear junctus non excitet incendium, sal aquæ junctus non in aquam diffluat? Hinc enim monet Ecclesiasticus, c. IX. *Cum saltatrice ne assiduus sis, ne forte pereas in efficacia illius,* Græce habetur, *cum psallatrice.* Saltus enim puellarum et accedens cantus seu musica efficacissima sunt retia ad illa queandos juvenum animos. Nonne saltatio Herodiadis rapuit Herodem, ut promitteret ei dimidium regni, imo caput Joannis; quem tamen, ut colligitur ex tristitia ejus, pluris aestimavit? Quid hujusmodi saltatrices non impetrabunt ab aliis? Et si uni hosti difficile est resistere, multo magis quatuor aut quinque. At ibi quot hostes simul concurrunt? Imprimis saturitas cibi et potus : nemo enim facile saltat sobrius, sed post epulas et pocula. Accedit aspectus mutuus, risus et corrisus, nic-

tus oculorum ; deinde contactus omnium maxime viscosus, amplexus et quandoque foeda oscula : accedit concentus musici lenocinium : cantilenæ leves et in honestæ, suaviter in aures et mentem influentes : odorum delinimenta : ita ut nulli sensu suis lenis careant. Deus bone! Sancti olim eremicolæ in summa corporis afflictione, jejuno, vigiliis, humicubationibus, solitudine et orationibus difficulter restiterunt spiritui fornicationis : et isti inter tot laqueos constituti, puritatem conservabunt?

Quarto, dum ita miseri laborant, nequaquam sibi, sed dæmoni laborant, cui venantur animas etiam circumstantium. Non enim illi solum, qui saltant, sed et spectatores eorum in nassam dæmonis communiter pertrahuntur, non secus ac pastinacæ pisces. Haec enim, dum piscatores in littore saltationes instituunt et cantant, cantu saltuque oblectatae ad littus adnatant, sive piscatoribus sensim recedentibus, a tergo retibus jam extensis includunt et capiuntur. Quin etiam, cum piscator in navicula saltare et cantare aliquid incipit, sensim ad summam aquam efferuntur, et facile interim circumventæ comprehenduntur, auct. Aldrovand. I. III. c. XLVI. et I. XVII. c. XVIII. de piscibus. Pisces ergo choreis decipiuntur, et non decipientur homines? Miseri vero illi piscatores sunt, qui choreas ducunt, quia non sibi, sed diabolo piscantur.

III. Quæ illorum merces? Mors sæpe subitanea : deinde inferni barathrum. Sic enim Job XXI. dicitur: *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonum organi. Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt.* Multa hujus rei exempla passim invenimus. Unum recenset Cæsarius monachus Cisterc. I. IV. c. XI. hist. de procaci vetula, quæ in festo SS. Petri et Pauli cum aliis choros agens, parocho prope concionanti insultabat, ideoque intra triduum subito extincta est. Aliud Albertus Cranzius, I. XII. Wandal. histor. c. XIV. de Qualensibus nuptiis in Lubica, in quibus aderat frequentissima virorum et mulierum multitudo choreas ducens, repente vero incendium domus exortum absumptis ex illis 130. utriusque sexus, soli sponsus et sponsa e lecto evasere incolumes. Unde proverbium ortum : *Nuptiaz Qualenses.* Aliud refert de march. Misnensi in oppido Calven. saltante, domus ruina oppresso, metrop. c. XXIII. et I. X. Saxon. c. V. Aliud de saltantibus in ponte fere 200. hominibus rupto ponte submersis. Aliud Thomas Cantiprat. I. II. apum, de quibusdam in Gallia super ponte choreas ducentibus, qui subito dirupto ponte fortissimo in aquis validis, Pharaones effecti, sunt demersi. Addit et puellam se præsente post

choreas subitanea morte percussam expirasse. Aliud de muliere saltante, quæ e lapsu baculi e manu ludentis pila, enecta est, eodem libro. Et quid talium hominum mortem sequi potest, nisi infernus? Ubi enim præparatus ad mortem? Ubi prævia pœnitentia? Et si teste D. Augustino : *Omnis motus et saltus petulantia est saltus in profundum cloacæ, quanto magis chorea impudica et frequentata?* Experta es hoc saltatrix illa filia Herodiadis, quæ ut scribit Nicephorus, I. I. c. XX. et Lucius Dexter, in chronico, anno Christi 34. cum super Sicorim flumen Ilerda concretum hiemali tempore pedibus transiret, rupta glacie in profundum non aquæ tantum, sed inferni etiam descendit in momento. Atque ut sciretur saltationi ejus hoc supplicium illatum fuisse, caput ejus glacie resectum postea supra glaciem saltus dedit.

Qualis iste saltus fuit? De glacie in aquæ fundum, de aqua in inferni profundum! Refert Herodotus, I. VI Clisthenem Sicyoniorum tyrannum varios et nobilissimos adolescentes procos ex variis civitatibus convocasse eo fine, ut corum

uni quem dignissimum reperiret unicam filiam suam Agaristiam nobilissimam ditissimamque despontaret. Cumque præ cæteris ei placeret Hippoclides, Atheniensis juvenis, ubi postea vidit eum nimis levicule et gesticulatorie saltasse mutavit voluntatem et dixit ei: *Fili Tisandi* (ita enim vocabatur ejus pater) *matrimonium desaltasti.* Vobis hoc dicitur adolescentes. Vobis cupit Deus despondere regnum suum, si vos dignos sanctis moribus probaveritis. At si leviculas saltationes sectati fueritis, frustra eritis: matrimonium desaltastis, in infernum desiliistis.

Cogitent igitur saltatores et saltatrices qualē aliquando saltum ex hoc sæculo in alterum facili sint. Cogitent tubam illam terribilem, quæ eos evocabit ad tribunal judicis. Quid si et ipsi in profundum inferni debeat saltare? Qualis erit saltus ille? Absit igitur a vobis, ut ad has diaboli operas conduci vos patiamini. Eamus potius ad vineam Christi et serviamus Deo, ubi merces nostra magna nimis ipse Deus deorum est et regnum eolorum.